



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

11. Ex injuncto &c. Novum erigit Episcopatum in Urbe Brugensi apud
Flandros anno 1560. eumque constituit Suffraganeum Archiepiscopatus
Mechliniensis, Ecclesiam Collegiatam S. Donatiani faciens ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, seu in eorum, vel Ecclesiarum, Monasteriorum, aut aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel etiam in ullius favorem, aut remunerationem laborum nobis, & Sedi Apostolicæ prædicte impensorum, aut in recompensam jurium cessorum, aut aliis quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ Potestatis plenitudine, nec non quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & cæteris attestationibus mentis nostræ de illis non revocandis, in genere, vel nominatim in specie de dictis Canonatu, & Præbenda concessis hætenus, & in posterum concedendis.

Quas & quæ, illorumque omnium vim, & effectum quoad hoc omnino suspendimus, & in dictis Canonicatibus, & Præbendis effectum fortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus, illisque, ac statutis, privilegiis, indulgentiis, & literis supradictis, etiam si de illis pro illorum sufficienti derogatione, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanens, hæc vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, dismembrationis, erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, mandati, suspensionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

Sic scriptum erat:

Fred. Cardinalis Cæsius.

Deinde sic,

Cæsar Glorieux, A. de Alexiis.

XI.
Ex Op.
Dipl. Mi-
rei Tom.
II. p. 993.

Novum erigit Episcopatum in Urbe Brugensi apud Flandros anno 1560. eumque constituit Suffraganeum Archiepiscopatus Mechliniensis, Ecclesiam Collegiatam S. Donatiani faciens Cathedralem, & Mensæ Episcopali annectens Præposituram dictæ Ecclesiæ, item Abbatiam Thosonam, vulgò Doest, Ordinis Cisterciensis, haut procul Brugis, Bullam Apostolicam exequutioni mandat Cardinalis Antonius Granvellanus, primus Archiepiscopus Mechliniensis.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto nobis desuper Apostolicæ Servitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, decori, & venustati, ac illis præfidentium statui, & opportune subventioni, cum

Divini Cultus augmento, & animarum Christifidelium salute, valeat salubriter provideri. Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerint, & saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus alias, postquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullum verò Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum oppidorum celebrietas, ac longè, latèque distitorum castrorum, pagorumque suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ab hæreticis conditio expoſtulabant, iisque & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholice succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habita, sicut rei magnitudo expoſtulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, & Apostolicæ Potestatis plenitudine, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Dioceses, à Rhemenſi, & Colonienſi Provinciis, ac Mechlinienſe, & Brugenſe, diverſaque alia oppida insignia hujusmodi regionis, à sua quoque Diocesi & Provincia perpetuò segregaverat, & diviserat.

Nec non Mechlinienſe, Brugenſe, & reliqua oppida prædicta sic divisa in Civitates, Cameracensem vero, & Ultrajectensem tunc Episcopales Sedes, ac olim Sancti Rumoldi Mechlinienſem in Metropolitanas, & Sancti Donatiani Brugenſem Collegiatam, cæterasque alias oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias in Cathedralis Ecclesias pro totidem Archiepiscopis, & Episcopis, qui suæ cuique Ecclesiæ præessent: Nec non Mechlinienſi, & Brugenſi Ecclesiis, & Civitatibus prædictis, certos tunc expressos districtus per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diocesi unicuique perpetuò concesserat, nec non Ecclesiæ Mechlinienſi prædictæ Ecclesiam, Civitatem, & Diocesium Brugenſem hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat.

Præfato quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad Brugenſem, & alias Ecclesias erectas, tam ab primæva erectione hujusmodi, quam ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandas, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras.

Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, suo ac Apostolicæ Sedis Nuntio, in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias & Dioceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Præposituris, sub illis consistentibus, dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus & Nuntius, dicto Prædecessore interea de medio sublato, vigore seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsitan eorum

aliqui

aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonice subdelegari poterant.

Facta nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationes Bonorum à Monasteriis, & Præposituris prædictis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria Mensis prædictis pro dote Ecclesiarum suarum, ad hoc ut Episcopi etiam illorum Curam perinde, atque suam propriam perpetuo gererent, potius esse unienda.

Ac designationes & limitationes Provinciarum, & Diocesium, divisionesque, & distributiones oppidorum, & jurisdictionem in nonnullis partibus ipsarum Diocesium commodiores illis, quæ per primo dictas litteras statuuntur, nec non constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, statum quoque & formam in prædictis Ecclesiis, etiam per dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & alias in universum accommodatas rationes habendas censuerunt, ac super majori illorum parte processus, & scripturas, seriè digestis rebus omnibus, formandos curaverunt, prout in illis ac singulis litteris prædictis, seu scripturis plenius continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica, aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, etiam Beneficiorum, cui aliud uniri peteretur, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique nuper Monasterium de Doest, Cisterciensis Ordinis, olim Tornacensis, nunc verò Brugensis Diocesis, cum primum illud per cessum vel decessum moderni illius Abbatis, aut aliis quovis modo vacare contingeret, Mensæ Episcopali Brugensi ex tunc, prout ex ea die, & è contra, perpetuo univimus, annexuimus, & incorporavimus, attendentes quod si prædictis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciose hæresium dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, atque attingitur, haud ita violenter invaluissent.

Nunc autem cum ad illa arcenda, & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla æquè opportuna remedia, quam supradicta potuerit adhibere, ut ea juxta cordis sui, atque nostri desiderium promptos & felices fortiantur effectus, nostri Ministerii partes præmissis adicere, illaque omnibus, quibus possumus, rationibus juvare, & promovere volentes, ac Mensæ Episcopalis Brugensis, & illi uniendorum Canonatus, & Præbendæ, nec non applicandorum, & assignandorum fructuum, reddituum, & proventus, ac bonorum, & aliorum infra scriptorum, quorum valor annuus non est expressus, veros annuos valores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum populorum enixè prosequenti excitati.

Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolica Potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus, & distributionibus dictorum subdelegatorum in prædictis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis inhærendo, ac concessionem & assignationem per priores litteras Prædecessoris hujusmodi factas, quoad infra scripta immutando, omnia & singula oppida, castra, pagos, villas, & loca infra scripta videlicet.

Brugas, Dam, Armuyen, Biervliet, Middelborgh, Sluys, Ardenborgh, Audenborgh, Ostende, Oostborgh &c. In posteriori designatione subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis etiam Parochialibus, Monasteriis, Collegiis Canonico-rum, Capellis, Hospitalibus, & Beneficiis, Locis & Personis, ac Officiis Ecclesiasticis,

Sæcularibus & Regularibus, ac populis, & quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfata Ecclesiæ Brugensi, juxta designationem illi per prædictos subdelegatos factam, hujusmodi perpetuo concedimus, & assignamus.

Et insuper Præposituram Ecclesiæ Brugensis prædictæ, quæ tempore illius erectionis hujusmodi dignitas inibi principalis erat, & cujus fructus, redditus, & proventus mille Ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem, valorem annum, ut etiam accepimus, non excedunt, cum primum illam per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem dilecti filii moderni illius Præpositi, aut alias quovis modo ex cujuscumque persona, etiam apud Sedem Apostolicam, aut etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ Regulas, seu litteras alternativarum, aut alia privilegia & indulta reservata existit, seu fuerit, vacare contigerit, vel etiam si actu nunc vacet, & tanto tempore vacaverit, quod ejus Collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta, illaque dispositioni Apostolicæ specialiter, vel ex quavis causa etiam dispositivè exprimentia generaliter reservata existat, & ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique Cura etiam jurisdictionalis imminuat animarum, & super ea inter aliquos his, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, suppressimus, & extinguimus.

Nec non Archidiaconatum Brugensem in Ecclesia Tornacensi, quæ inibi dignitas, non tamen major post Pontificalem existit, similiter cum primum ille per cessum, vel decessum illam obtinentis, etiam apud Sedem eandem, aut aliis vacare contingerit, vel etiam si vacet, aut specialiter vel generaliter reservatus, curatus, & ligiosus existat, ut præferatur, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis suis, ad prædictam Ecclesiam Brugensem similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, ita quod Archidiaconus Brugensis pro tempore existens, post obitum prædicti moderni Archidiaconi in eadem Ecclesia Brugensi, prout olim in dicta Ecclesia Tornacensi, retidere, ac jurisdictionem per universam Diocesim Brugensem ad instar aliorum, qui nunc sunt in illa parte ejusdem Diocesis, habere, illamque exercere debeat, transferimus.

Ac in eadem Ecclesia Brugensi unum Archipresbyteratum Civitatem pro uno Archipresbytero Civitatis, qui Curam Rectorum Parochialium Ecclesiarum Verbi Dei, & Sacramentorum per Civitatem:

Et unam Pœnitentiariam Diocesanam nuncupandas dignitates inibi, non tamen majores post Pontificales, pro uno Pœnitentiario Diocesano nuncupandis, qui Curam Conscientiarum Populi per Diocesim Brugensem habeant, perpetuo erigimus, & instituimus.

Nec non à Monasterio Sancti Bertini Audomarenensis prædicti, vel alterius Ordinis, seu Mensæ Abbatiali Bona, & proprietates sita in districtu Brugensi, ad Monasterium, seu Mensam Abbatialem hujusmodi legitime pertinentia, quorum proventus annui, una cum fructibus, redditibus, & proventus dicti Monasterii de Doest, residuum trium millium Ducatorum pro dote dictæ Mensæ Episcopalis Brugensis, supportatis oneribus, complere dicuntur, post cessum, vel decessum moderni Abbatis ejusdem Monasterii Sancti Bertini, similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, perpetuo segregamus, & dividimus.

Ac illa, nec non Domum, omniaque & singula alia, Proprietates, Bona, Jura, Jurisdictiones, Censuum, fructus, Redditus, & Proventus, & Emolumenta dictæ Præposituræ sic suppressæ, etiam ex

nunc, prout ex tunc, & è contra eidem Mensæ Episcopali Brugenfi pro ejus dote, ita quod liceat Episcopo Brugenfi, pro tempore existenti, illorum omnium corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus in suos, & dictæ Mensæ usus, & utilitatem convertere, ac de omnibus & singulis Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, Beneficiis & Officiis, cum Cura, & sine Cura, ad Collationem, provisionem, præsentationem, & quamcumque dispositionem præfati Præpositi, tam conjunctim, quam divisim pertinentibus, liberè disponere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, perpetuò applicamus, & appropriamus.

Et ut Episcopus Brugenfi pro tempore existens Ecclesiam suam personis eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera obeunda idoneis debite instructam, jugiterque decoratam habeat, perpetuò statuimus, & ordinamus, quod ex omnibus Canonicatibus & Præbendis dictæ Ecclesiæ Brugenfi, qui multi & pingues existunt, & ad Collationem Præpositi forsan pertinent, decem quos primò per cessum, vel decessum, etiam apud Sedem præfatam, aut aliàs vacare contigerit, vel etiam si actu nunc vacant, ac devoluti, affecti, sacerdotales & religiosi existant, ut præfertur, ita perpetuò affecti remaneant, quod idem Episcopus unum, & unam omnium primò vacatuos, tamquam Mensæ suæ Episcopali perpetuò unitos (& quos nos similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, ipsi Mensæ perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus) obtinere, illorumque ratione Capitularis esse, vocemque, & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum, & Canonicos habere.

Reliqui verò novem Canonicatus, & Præbendæ prædicti, tribus Magistris, aut Licentiatibus in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatibus, ac tribus aliis Nobilibus ejusdem Diocesis, etiam in Jure, vel Theologia, saltem gradu Licentiatûræ, in famosa quapiam Universitate Studii generalis, secundum tenorem primò dictarum litterarum promotis, ordine præmissò servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex Priores tam Nobiles, quam alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes & singuli ratione suarum Præbendarum consilium & operam in negotio Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore occurrentibus, quoties ab Episcopo requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim, præstare teneantur.

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquos ex dictis Graduatis, Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam hujusmodi ad nominationem dicti Episcopi assumi, & omnium primi post Episcopum vacatuos Canonicatus, & Præbendas prædictos, simili ordine consequi debeant.

Ut autem de viris spectatâ doctrinâ, & probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, accuratius prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per prædictum Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione Suffragium Episcopi non plus juris, sive momenti, quam cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tunc iteratum ad hoc Episcopi Suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, indultis de

providendo, commendando, & aliàs disponendo primariis precibus, aut aliis gratis præventivis per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & ipsam Sedem Apostolicam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, seu contemplatione, aut intuitu, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aut aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque causâ quantumlibet urgenti pro tempore factis, & concessis comprehendantur, nec etiam tamquam vacantes apud Sedem Apostolicam prædictam, aut ulla alia ratione, generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, etiam apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem hujusmodi, de illis provideri, aut aliàs quoquomodo disponi possit; sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullâque causâ infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis, Magister, seu Licentiatius in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatius Seniores, ratione suarum Præbendarum facultatem habeant visitandi per universam Diocesim Brugensem prædictam, quoties ab Episcopo Brugenfi, cæteri verò Canonici Graduati prædicti, quando cumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, una cum Archidiacono Curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad Curam animarum, quacumque auctoritate illi provisum fuerint, neminem nisi idoneum, seque personale residentiam facturum mediante juramento promittentem, admittendo.

Et quoniam ipsa hæreticorum studia, temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quod si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi, per duos Menses abierint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant. Et omnes Proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis, qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeant, nec quisquam ulla dispensatione, vel alio Privilegio Apostolico quacumque causâ impetrato, vel concessio, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæterum Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archipresbyteri Civitatis, extra verò eam, & in Diocesi Brugenfi existentibus, sub suis Decanatibus, seu Archipresbyteratibus, aut aliis jurisdictionibus, prout hætenus remaneant, vel meliori modo arbitrio Episcopi distribui, ipsorumque Decanatum, seu Archipresbyteratum Decani, & Archipresbyteri, salva dicti Episcopi moderatione, emolumenta hætenus percipi solita percipere possint.

Districtius inhibentes Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque locorum Ordinariis, nec non Conventibus, Superioribus & personis, illique vel illis, ad quem, seu quos Præposituræ, & Archidiaconatus, ac decem Canonicatum, & Præbendarum assertorum prædictorum collatio, provisio, præsentatio, & alia dispositio communiter, vel divisim pertinet, nec non quibuscumque aliis, cujuscumque dignitatis, status, ordinis, & conditionis existentibus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub Excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & penis, nec non privationis omnium dignitatum, personatum, administrationum, & officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia impostèrum obtinenda, ne de illis si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & executionem in aliquo quantumlibet mo-

dico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo praesumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in praemissis omnino acquisitum esse, & super his Beneficio Regularum, de non tollendo jure quaesito, ac annuali, & triennali possessione, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & plenarie gaudere, ac decem Canonicatus, & decem Praebendae affecti praedicti, per quoscunque, etiam praetextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta concordata praedicta, expectatarum, & quarumcumque aliarum gratiarum quoquo modo acceptari non posse, & nihilominus quascunque acceptationes, collationes, commendas, uniones, etiam perpetuas, & alias dispositiones de eisdem, aut eorum aliquo, etiam per Nos, & Sedem praedictam quomodolibet factas, & faciendas, nullius profus roboris, vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Ac concessionem, assignationem, dismembrationem, separationem, translationem, erectionem, institutionem, statutum, ordinationem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem, appropriationem, & caetera praemissa, ac praesentes litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & ceteri, & sub quibuscumque revocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus, etiam unionum, suppressionum, applicationum, etiam effectum non sortitarum, quae posthac per Nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi Apostolatus Apicem, quam alias quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, minime includi, sed illis non obstantibus in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa existere, sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostrae fuisse, esse, & fore, ac easdem praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, & nullitatis vitio, sive intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam, quacunque ratione vel causa, vocari posse.

Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores & Cardinales, in quavis causa & instantia, subblata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris, Archiepiscopo Mechliniensi, & Episcopo Camerino, ac dilecto Filio Archidiacono Ecclesiae Brugensis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, & in eis contenta quaecumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Episcopi Brugensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant Auctoritate nostra Episcopum Brugensem, & alios praefatos, concessionem, assignationem, translationem, erectionem, unionem, annexionem, incorporationem, & applicationem, ac litteras, & alias in eis contentis praedictis pacifice gaudere, ac alias litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, non permittentes illos, per quoscunque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras & poenas Ecclesiasticas, appellatione postposita,

compescendo, nec non legitimis super his habendis processibus censuras & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus voluntate priori, & aliis praemissis, & nostris de valore, tam in impetrationibus, quam aliis gratis, etiam motu simili factis exprimendo, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à jure permittis fieri prohibentis, ac pie memoriae Bonifacii Papae Octavi, etiam Praedecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus diebus, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, etiam reservatoriis, etiam in Corpore Juris clausis, nec non Cancellariae Apostolicae Regulis, etiam revocatoris & revocatoriis innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & alias in contrarium quomodolibet editis, & edendis, nec non Monasteriorum, & Ordinum, ac Ecclesiarum, & Collegiorum, ac locorum praedictorum, cum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, nec non quibusvis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratis, etiam in Canonicis Creationibus, aliisque unionibus, etiam perpetuis, absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus, citra accessus & regressus facultatibus, mandatis, litteris, & concessionibus, quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac Praelatis domesticis, nec non Romanae Curiae Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, & cum quibusvis antelationibus, praerogativis, & decretis, etiam irritantibus, & clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis, etiam praesentibus derogantibus, etiam motu ac scientia similibus, & alias quomodocumque concessis, quas, & quae illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad praemissa omnia omnino suspendimus, & in praemissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Nec non privilegiis, indultis, & Litteris Apostolicis illis, & aliis quibusvis per quoscunque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Nos, & Sedem praedictam, etiam per viam Generalis Legis, ac statuti perpetui, nec non initi & stipulati contractus, seu quasi, & alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac eorum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam praemissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac alias quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquilita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, quavis talia & multa sint, quae sub clausula implicitae derogationis latissime extendenda in supplicatione

apposita

apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur, nihilominus in genere, & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Dignitatibus, ac Canonicatibus & Præbendis ipsarum Ecclesiarum speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras, & processum habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque, ad Præposituram, & Archidiaconatum, ac Canonicatum, & Præbendam hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Dignitatum, ac Canonicatum, & Præbendarum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Aut si pro tempore existenti Episcopo, & dilectis Filiis Capitulo Brugensi, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem Sede sit indultum, aut in futurum indulgeri contigerit, quoad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, suppressionis, extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, segregationis, divisionis, applicationis, appropriationis, statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

Erat signatum,

Cæ. Glorieux.

Et super plicam,

A. de Alexiis.

XII.
Ex Op.
Dipl. Mi-
ra Tom. 2.
pag. 1066.

Ecclesiam S. Bavonis Gandavi, quæ anno 1536. facta fuerat Collegiata, suppresso Cœnobio Monachorum Ordinis S. Benedicti, erigit in Cathedraliam, ibique novum instituit Episcopum Suffraganeum Archiepiscopatus Mechliniensis, cui annexit Dignitatem Abbatis Sæcularis, seu Præposituram ejusdem Ecclesiæ: anno 1560.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Regini Universalis Ecclesiæ disponente Domino præfidentes, pro Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, illisque præfidentium, & in Divinis servitium, statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti Pastoralis Officii tenemur, solite considerationis aciem extendimus, & ad ea, per quæ Ecclesiarum ipsarum dotationi, decori & hone-

stati, suorumque Præfulum, Capitulorum, & aliarum Personarum Divinis ibi laudibus insistentium statui, & opportune subventioni cum Divini Cultus augmento, & animarum Christianidelium salute consulitur, nostræ sollicitudinis partes libenter adhibemus, & alias super his, & nonnulla, quæ à Prædecessoribus nostris licet consulto gesta fuerint, ex saniori tamen consilio prudenter immutando disponimus, prout locorum, temporum, personarumque qualitas exigit, & ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Cum itaque alias postquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, providi Pastoris more considerans, quod ea pars inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico, hæreditario jure etiam tunc subiecta erat, pro tanta celeberrimorum oppidorum frequentia, populorumque multitudine, adeo paucas Ecclesias Cathedraliales habeat, ut illarum Episcopi, eâ quæ opus erat, diligentia tantam animarum multitudinem regere nequirent, idque nonnullis eorum hoc erat difficilius, quod Diocesani sui vulgari idiomate, institutisque differebant, & quidam eorum ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem non liceret evocare, ita ut nec Fidei Doctrinæ, & piæ vivendi præceptis commode instrui, nec si qui deliquissent, facile corrigi ab Episcopis suis possent, ac ob assiduas hæreticorum, & schismaticorum, à quibus eadem Regio omni fere ex parte cincta erat, insidias, pestiferasque doctrinas illic Fides Catholica, & animarum salus in maximo discrimine versabatur.

His, aliisque gravibus causis impulsus, volens etiam ipsius Philippi Regis, hoc illi supplicantis precibus, pioque desiderio satisfacere, habita, sicut rei magnitudo postulabat cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione maturata, de eorum Consilio, deque Apostolica potestatis plenitudine, Cameracensem Civitatem, & Diocesim à Remensi Provincia, cui tunc erat Metropolitanico Jure subiecta:

Ac Gandavensē olim Tornacensē Diocesim, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia dictæ regionis cum omnibus, & singulis suis terminis, Territiis, Clericis, Populis, Personis, Monasteriis, Beneficiis Ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura, Sæcularibus, quorumvis Ordinum Regularibus, & aliis piis Locis, à suis quodlibet Diocesi, & Provincia perpetuo segregaverat, diviserat, & separaverat.

Ac Gandavensē, & reliqua Oppida prædicta sic divisa in Civitates; Sedem verò Cameracensem tunc Episcopalem in Metropolitanam, ac olim Collegiatam Sancti Bavonis Gandavensis, certasque alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias in Cathedraliales pro totidem Episcopis creandis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent:

Ac Gandavensē, aliisque Ecclesiis, & Civitatibus præfatis certos districtus, per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diocesi perpetuo concesserat.

Nec non Gandavensem prædictam, & certas alias tunc expressas Ecclesias, Civitates, & Diocesim Ecclesiæ Mechliniensis hujusmodi pro sua Provincia subjecerat.

Singulisque Gandavensibus, & aliarum noviter erectarum Cathedralium Ecclesiarum Mensis Episcopalis, annum redditum trium millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & Bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis per dictum Nuntium specificandis, & repartendis, ex tunc, prout ex ea die, & e contra, postquam specificati, & repartiti, ac interim donec specificatio, & repartitio hujusmodi factæ, & effectum sortite forent, & non ultra, cuilibet ex prædictis Mensis pro earum dote alium annum

reddidit